

tum vena *cava*, quæ ramos suos per totum corpus diffundit, tum arteria *pulmonalis*, quæ sanguinem ad pulmones defert. Ex sinistro ventriculo oritur tum *aorta*, seu arteria *magna*, quæ per ramos & furculos innumeros sanguinem ad omnes corporis partes vehit, tum vena *pulmonalis* sanguinem e pulmonibus ad cor revehens. *Vasa lymphatica* sunt canaliculi tenues, pellucidi, propter valvulas copiosas nodosi, liquorem aquosum ex partibus versus cor deferentes. Similes fere canaliculi sunt vasa *lactea* quæ *chylum* ex intestinis ad *receptaculum* adducunt 12 *Pinguedo* est substantia mollis, oleosa, ex albedine flavescens, in vesiculis membranosis contenta. Ejusdem fere indolis est medulla ossium.

Descriptis jam partibus solidis, partes fluidas corporis considerabimus 1 *Sanguis* est liquor rubicundus in arteriis & venis contentus, ex quo omnes partes solidæ nutriuntur, & humores in certis organis secernuntur 2 *Chylus* est humor lacteus, ex alimentis in ventriculo seu stomacho & intestinis segregatus, quem vasa lactea & ductus thoracicus in sanguinem advehunt 3 *Lympha* est humor limpidus, gelatinosus, nutritivus, qui ex omnibus partibus ad cor revehitur. Perpetua fit sanguinis in corpore circulatio; chylus namque ex eibus elaboratus & cum sanguine resuente dextro cordis ventriculo illatus, ope contractionis cordis per arteriam pulmonalem ad pulmones, & e pulmonibus per venam pulmonalem ad

cor-